

*Naubarum, Carcinæ. A tergo lacus Buges, fossa emis-
sus in mare. Ipse Buges à Coreto, Meotis lacus sinu,
petroso discluditur dorso. Recipit annes Bugem, Ger-
rhum, Hypanin, ex diuerso venientes tractu. Nā Ger-
rhus Basilidas et Nomadas separat. Hypanis per No-
madas & Hylæos fluit, manu factò alueo in Bugem, na-
turali in Coretum. Regio Scythiæ Sēdica nominatur.
Sed à Carcinite Taurica incipit, quondā mari circum-
fusa & ipsa, quaqua nunc iacent cāpi. Deinde vastis
attollitur iugis. Triginta sunt eorū populi. Ex ijs me-
diterranei xxiiij. Sex oppida, Orgocyni, Caraseni, As-
syrani, Tractari, Arcilachita, Calior di. Iugum ipsum
Scythotauri tenēt. Clauduntur ab occidente Cherro-
neso, ab ortu Scythis Satarchis. In ora à Carcinite op-
pida, Taphra, in ipsis angustijs peninsula: mox Hera-
clea Cherronesos, libertate à Romanis donatū. Mega-
rice vocabatur antea, præcipui nitoris in toto eo tra-
ctu, custoditis Græciæ moribus, quinque; M. pass. ambiē-
te muro. Inde Parthenium promontoriū Taurorum,
ciuitas Placia. Symbolon portus. Promontoriū Criu-
metopon, aduersum Carambi Asiæ promontorio per
medium Euxinum procurrens clxx. M. pass. interual-
lo: quæ maxima ratio Scythici arcus formam efficit.
Ab eo Taurorū portus multi & lacus, oppidū Theo-
dosia à Criuemetopo cxxij. M. passuum. A Cheronne-
so clxx. M. pass. Ultra fuere oppida, Cyte, Zephyriū,
Acre, Nymphæum, Dia. Restat longe ualidissimum
in ipso Bosphori introitu, Panticapæum Milesiorum,
à Theodosia M. xxxv. pass. A Cimmero uero oppido
transfretum sito MMD. (ut diximus) pass. Hæc ibi
latitudo Asiam ab Europa separat, eaq; ipsa pedibus
plerunq; peruia, glaciato freto. Bosphori Cimmerij la-
titudò xy. M. D. pass. Oppida habet Hermisium, Myr-
mecium: & intus insulā Alopecen. Per Meotin autē
ab extremo Isthmo, qui locus Taphra uocatur, ad os
Bosphori cclx. M. pass. longitudo colligitur. A Ta-
phris per continentē introrsus tenēt Aucheta, apud
quos Hypanis oritur, Neuri apud quos Borysthenes,
Geloni, Thussagetæ, Budini, Basilidæ, & ceruleo capil-
lo Agathyrsi. Super eos Nomades: dein Anthropo-
phagi. A Buge super Meotin Sauromatæ, & Essedo-
nes. At per orā ad Thanaim vsq; Meote, à quibus la-
cus nomē accepit: ultimiq; à tergo eorū Arimaspi.
Mox Riphæi montes, & assiduo niuis casu pinnarū si-
militudine, Pterophoros appellata regio: pars mundi
damnata à natura rerū, & densa mersa caligine: neq;
in alio quā rigoris opere gelidisq; aquilonis conce-
ptaculis. Pone eos montes, ultraq; aquilotem, gens fe-
lix (si credimus) quos Hyperboreos appellauerē, an-
nofo degit æuo, fabulosis celebrata miraculis. Ibi cre-
duntur esse cardines mūdi extremiq; siderū ambitus,
semestri luce et una die solis auersi: nō, ut imperiti di-
xere, ab æquinoctio uerno in autumnum. Semel in an-
no solstitio oriuntur ijs soles, brumq; semel occidunt.
Regio aprica, felici temperie, omni afflatu noxiō ca-
rens. Domus ijs nemora luciū, & deorum cultus vi-*

*ritim gregatimq; , discordia ignota & aegritudo om-
nis. Mors non nisi satietate uitæ, epulatis delibutisq;
senibus luxu, ex quadam rupe in mare salientibus.
Hoc genus sepulturæ beatissimū. Quidam eos in pri-
ma parte Asiæ littorum posuere, non in Europa, qui
sunt ibi similitudine & situs, Atacorum nomine. Alij
medios fecere eos inter utrunq; solem, Antipodum oc-
casum exorientemq; nostrum, quod fieri nullo modo
potest, tam vasto mari interueniēte. Qui nō alibi quā
in semestri luce constituere eos, serere matutinis, me-
ridie metere, occidente sole fetus arborū decerpere,
noctibus in specus condi tradiderunt. Nec licet dubi-
tare de gente ea, cum tot autores prodant frugū pri-
mitias solitos Delon mittere Apollini, quem præcipue
colunt. Virgines ferebāt eas hospitij gentium per an-
nos aliquot venerabiles: donec violata fide, in proxi-
mis accolarū sinibus deponere sacra ea instituire, hiq;
ad conterminos deferre, atq; ita Delon vsq;. Mox &
hoc ipsum exoleuit. Sarmatiæ, Scythiæ, Tauricæ, om-
nisq; à Borysthene anne tractus lōgitudò dcccclxxx.
M. Latitudo dccxvij. M. à M. Agrippa tradita est.
Ego incertā in hac terrarū parte mensurā arbitror.
Verum instituto ordine, reliqua huius sinus dicantur:
& maria quidem eius nuncupauimus.*

Insulæ Ponti.

CAP. XIII.

Hellespontus insulas non habet in Europa dicē-
das. In Ponto duæ, M. D. passuum ab Europa,
xiiij. M. ab ostio, Cyaneæ ab alijs Symplegades
appellatæ, traditæq; fabulis inter se concurrisse: quo-
niā paruo discretæ interuallo, ex aduerso intrātibus
gemine cernebantur, paulumq; deflexa acie, coem-
tium speciem præbebant. Citra Istrum Apolloniata-
rum una lxxx. M. à Bosphoro Thracio, ex qua M. Lu-
cullus Capitolinū Apollinem aduexit. Inter ostia Istri-
quæ essent diximus. Ante Borysthene Achillea est su-
pradicta, eadē Leuce & Macaron appellata. Hanc tē-
porum horū demonstratio à Borysthene cxl. M. ponit,
à Tyra cxx. M. à Peuce insula quinquaginta M. Cin-
gitur circiter x. M. pass. Reliquæ in Carcinite sinu
Cephalonnesos, Bosphodusa, Macra. Nō est omitten-
da multorum opinio, priusquam digrediamur à Pon-
to, qui maria omnia interiora illo capite nasci non Ga-
ditano freto, existimauere, haud improbabili argumē-
to: quoniam æstus semper è Ponto profluens nunquā
reciprocetur. Exeundū deinde est, ut extra Europæ
dicantur: transgressisq; Riphæos montes, littus occa-
ni septentrionalis in læua, donec perueniatur Gades,
legendum. Insulæ complures sine nominibus eo situ
traduntur. Ex quibus ante Scythiam quæ appellatur
Bannomanna abesse à Scythia diei cursu, in quam ve-
ris temperie fluctibus electrum eijciatur, Timæus
prodidit. Reliqua littora incerta signata fama. Sep-
tentrionalis oceanus, Amalchium eum Hecatæus
appellat, à Paropamisso amne quæ Scythiam alluit,
quod nomen eius gentis lingua significat congelatum.
Philemon Morimarusam à Cimbris vocari, hoc est
d iij mor-